

## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies octavus et nonus continentur

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1865 [erschienen] 1866**

Elogium Reverendi Patris Constantini Suyskeni Hagiographi Societatis  
Jesu, Του Μακαρίτου. Auctore Ignatio Hubeno presbytero.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72229](#)

# ELOGIUM

REVERENDI PATRIS

## CONSTANTINI SUYSKENI

HAGIOGRAPHI SOCIETATIS JESU, TOY MAKAPITOY.

*Auctore Ignatio Hubeno presbytero.*

### C A P U T I.

*Suyskeni natales, studia in seculo; ingressus in Societatem et quæ in ea gesserit, donec illustrandis SS. Actis applicaretur.*

*Sublatus e  
viviis anno  
1771 P.  
Suyskenus,*

Annum jam omnino septem supra quinquaginta effluxerat spatum, ex quo profestus SS. Apostolorum Petri et Pauli dies summo Bollandiano Patres affectat dolorem, dum laboriosissimum vastissimi Operis promotorem, R. P. Danielem Papebrochium, non sine eruditorum omnium luctu e vivis eripuit, cum eadem plane luce anno a Virgineo partu mcccxxi inter mortales esse desit. P. Constantinus Suyskenus, Bollandiani Musci a decennio senior. Ea porro Viri hujus de Actis SS., atque adeo de republica litteraria universa sunt merita, ut, licet a me dignis satis laudibus efferenda non sperem, omnino tamen illa tacitus præterire si velim, non ingratu modo animi vitio laborare, sed et Majorum nostrorum mortem institutumque videar infregisse. Etenim illis jam a seculo et ultra nihil fuit solennius, quamdecessoribus suis, posteaquam ad æterna sacrorum laborum præmia commigrarant, non exquisito fucatoe verborum ornatu, sed veraci rerum ab eis recte gestarum enarratione parentare; neque id adeo, ut colestibus sedibus receptos (uti fas est sperare) ac proin humanarum laudum minime indigos altius evehent, quam ut tantorum virorum exempla legentium animos incenderent acris, et ad eorum imitationem vehementius impellerent. Patri igitur Constantino parentemus et nos. Ne vero, lector benevole, ipso te in limine pluribus detineam, quæcumque hoc elogio comprehensurus sum, compendio accipe. Primum quidem Suyskeni natales, studia, et præclare in Societate gesta, donec Bollandiano Operi admoveretur, exponam; tum

quos propagandæ Sanctorum gloriæ labores impenderit; ac demum, quibus potissimum ad mortem usque virtutibus effulserit, scriptio, qua potero, brevisima, quod lectoribus parere tedium prolixitas soleat, complectar. Itaque rem ipsam aggrediamur.

2 Sylva-Ducis, plurimorum illustrium virorum natalibus inclyta, et episcopali sede ad medium fere elapsi seculi, quo Batavorum potestati subjecta est, celebris Brabantia civitas, ad Dommelam et Aam fluvios sita, P. Constantiū mundo dedit anno reparata salutis mcccxiv, xii Kal. Septembri, S. Bernardo Doctori Mellifluo sacra die. Parentes nactus est non opibus minus, quam avita pietate, solidaque in Deum ac superos religione insignes. Ab his interim omni morum honestate et primis Orthodoxæ fidei regulis dum puerulus imbuitur, sensim eo ætatis deveniat, ut jam ad humiores perdiscedunt litteras dimittendus videretur. Verum hic magna piorum parentum animas cura injiciebatur: etsi enim suus Sylvæ-Ducis Iudus litterarius non decesset, in quo latini sermonis notitiam haurire aliquique liberalibus artibus instrui posset; quod tamen tum ab Acatholicis institutoribus, tum ab heterodoxorum illuc affluentium discipulorum consuetudine labem aliquam simplicis pueri moribus fidei facile aspergendarum arbitrabantur, Catholicorum, quo filium mitterent, circumspiciebant palæstram, ubi absque fidei morumque periculo totum se virtuti et politioribus studiis daret. Annorum igitur vixdum undecim puer ex parentum imperio proficisciit Ruræmundam (Gueldriæ ad

*natus est an  
no 1714 Syl  
va-Ducis;  
in politioribus  
litteris Ru  
ræmundæ;*

Mosam

## ELOGIUM

Mosam oppidum) ubi Societatis Jesu Patribus erudiendæ juventutis demandata erat provincia. Mirum, quot hic quantaque vel ab ipso exordio pietatis ac doctrinæ dederit specimina. Ut enim erat egregiis a natura dotibus ornatus, felici scilicet memoria, ingenio acri et qualiscumque scientiæ capaci, quibus et immensa accedebat in studia propensio, nihil erat in perfiscendis litteris tam arduum, nihil intricatum adeo, quod non facilis negotio superaret et dissolvetur feliciter; adeo ut vix non semper æmolorum vitor, raro ab eis virtus et studio discederet.

*Duaci vero  
Philosophia  
uno anno  
incubuit:  
admissus in  
Societatem,  
peracto tiro-  
cino.,*

*ac anno al-  
tero Physi-  
ca, repen-  
disque hu-  
manioribus  
litteris im-  
peneo, has  
juventuti  
quinquennio  
tradidit;*

3 Exacto tam laudabiliter per sexen-nium inferiorum studiorum curriculo, ad excipienda Philosophorum placita animum adjicit, seseque insigni politio-ris litteraturæ supellecili instructus Duacum contulit. Hic numerosissimos inter celeberrimæ academiæ alumnos adlectus, tantam brevi temporis spatio nominis sui famam apud omnes conciliavit, ut tamquam absolutum doctrinæ exemplar ab omnibus suspiceretur. Neque interim minori cura diligentiaque noxios ætati teneræ scopolos, in quos non pauci solent impingere, declinabat; imo, cum ne hoc quidem pacto diu tuto sa-tatis semitam tenere se posse existimaret, ad perfectioris vitæ normam am-plectendam animum adjicere cepit. Itaque salutari adeo incensus desiderio, se-sequi quasi divinitus ad Societatem Jesu impelli sentiens, instantius in illam recipi expetiit, ac voti compos factus, dimisis cum seculo profanis studiis, anno MDCXXXII v Nonas Octobris summa animi alacritate tirocinium Mechliniæ ingressus est. Positis hic per bien-nium religiosæ vitæ fundamentis, ipsa Seraphici Patris, cuius illustrans Actis tot olim vigilias ac labores erat impensurus, festiva luce se Deo ac Societati votis obstrinxit.

4 Mox Hallas Deiparae primum, tum Antverpiam moderatorum jussu conces-sit; illuc, ut, quas in seculo hauserat, humaniores litteras repeteret, huc vero, ut Physicæ, quam religionem citius in-grediendi studio distulerat, operam na-varet, Philosophicum summa cum laude emensus curriculum, Antverpiensi ju-ventuti litteris et pietate informandæ magister præficitur. Laborioso hoc in munere quantum se per quinquennium probarit, testatum abunde faciunt, qui-bus eum etiam hodie laudibus efferunt ipsius olim discipuli, et in docendo col-legiæ Lovanium deinde à Superioribus missus, ut sacram sibi ex utilissima di-

vinarum rerum scientia messem compa-raret, tanto in id animi nisu et con-stantia per annos quatuor incubuit, ut horum quarto contractiores primum the-sos, selectas dein ex universa Theolo-gia quæstiones publice tueri sit jussus. Quod quidem ea ingenii doctrinæque commendatione præstitit, ut, imposita tam feliciter Theologicis studiis coro-nide, Lovanius Antverpiam revocatus, promovendo Bollandiano Operi ex mo-deratorum placito fuerit admotus. Qua porro id occasione contigerit, exponen-dum nunc venit.

5 Insudabant quidem anno etiamnum MDCXL vastissimo de Actis Sanctorum Operi Hagiographi quatuor, illudque pro viribus feliciter promovebant: ut vero tam prosperum diu cursum tene-ret, summopere timendum videbatur, geminis quamprimum collegis humeros tanto oneri subtracturis. Erant hi PP. Joannes Pinus et Joannes Veldius, quo-rum alter non annis tantum et labori-bus confectus, sed et continuis animi anexictatibus vexatus, indies magis ma-gisque ad studia reddebat inhabilis; alter vero enixissimus apud Superiores precibus insistebat, ut sibi Museo vale-dicendi, et, quod jam pridem toto animo expetebat, seminaridi per Amer-icam Evangelii copiam facerent. Ne igitur aut fatiscente subito Pinio, aut Veldio voti compote facto, multum de-trimenti Sanctorum Acta caperent, de novo sibi adsciscendo adjutore mature agendum, reliqui duo statuebant Ha-giographi. Lustrabant itaque mente sin-gulas provinciæ domos, ut parem tan-to muneri virum reperirent, Repertus est autem juniores inter sacerdotes P. Constantinus in quo præ ceteris naturæ donis acre et maturum judicium, me-moriam facilem ac tenacem, multipli-cem eruditionem, animum denique la-boris et solitudinis amantissimum de-prehenderant, ac statim, annuentibus Superioribus, accitus Antverpiam circa mensem Septembrem dicti anni MDCXL, PP. Bollandistis auxiliare operam conferre coepit.

6 Mox totum se pervolvendis SS Actis et ad prelum parandis tanto stu-dio, tantoque labore impedit, ut vel ab eo tempore de P. Suyskeni electio-ne sibi gratularentur Hagiographi. Verum a susceptis tam strenue Hagiogra-phiæ studiis tantisper fuit avellendus. Habebat Instituti Societatis ratio, ut e-mensi Theologiæ cursum, priusquam gravioribus negotiis implicarentur, ad tertiam, ut vocant, probationem di-mitterentur

*absolutoque  
cursu Theolo-  
gico, PP. Ma-  
giographi*

*adscriptus est  
anno 1745.*

REVERENDI P. CONSTANTINI SUYSKENI

mitterentur, restauraturi spiritum, si quid forte ipsis ex primævo tirocinii fervore aut frequentiori cum secularibus commercio, aut nimia studiorum contentione decessisset, solebatque pia ejusmodi exercitatio plorosque integri fere anni spatio tenere. At cognita probe et perspecta moderatoribus religiosi hominis virtus efficit, ut post impensum spiritus innovationni mensem unum Lira Antverpiam repetierit, dimissa tantisper studia resumpturus. Anno dein MDCXLVIII mensis Februarii secunda die solemnem quatuor votorum professionem emisit. Quam porro strenue per 26 annos impositam sibi provinciam administrarit, dispersæ per undecim omnino Operis nostri tomos lucubrations loquuntur. Harum singulas (centum circiter sunt et triginta) lectorum oculis subjicere, longum foret et injucundum: præcipuas ergo, et quæ eruditæ scriptoris doctrinam industriamque maxime commendant, eo, quo sunt editæ ordine, recensuisse sufficerit.

CAPUT II.

*Lucubrationes ejus in septem posterioribus Septembribus Tomis.*

*In secundo Septembribus tomo præcipuus sunt Suyskeni lucubrationes de SS. Munessa, Fredaldo, Ida,*

**S**ecundus Septembribus Tomus primos nosbis exhibet novi Hagiographi nostri labores, mole quidem minus, quam felici rerum difficillimarum expeditione spectabiles. Decem sunt, de quibus hac in parte erudite agit, variarum nationum Sancti Sanctæque; Hiberni, Germani, Itali, Galli, Angli Suevique. Agmen dueit S. Munessa seu Monessa Virgo, Britonum regis filia, de cuius præsertim emortuali tempore, densissimis involuto tenebris, ex variis Patricianæ historiæ locis aliisque MSS. codicibus acutissime disputat, illudque inter annum 454 et 460 collocandum evincit. Commentarium hunc excepit acris de S. Fredaldi episcopali sede disputatio, Dionysium Sammarthanum inter et Valesium eruditosque Benedictinos, Historiæ Occitanie Scriptores, multum agitata, illo pro Mimatisi, his pro Gabalitana urbe stantibus. Posteriorum argumentis cum prioris rationibus rite collatis, atque omnium pondere æqua lance expenso, Occitanie Historiographis verosimilius subscribendum demonstrat. Quartum ejusdem mensis diem prosequitur discutiendo Gesta S. Idæ Viduae, et B. Irmgardis Virginis, comitissæ Zutphaniæ. Norunt rerum genealogiarum periti, quot explicandæ sint tricæ, quot labores exant-

landi, ut ex discrepantibus auctorum sententiis certum aliquid pro recto antiqui cojusdam stemmatis ordine statuat. Illas quam explicuerit feliciter, hos vero quam strenue exantlarit in assignandis S. Idæ progenitoribus posterisque, ne longior hic sim, ex citato loco curioso lectori erendum relinquo, ubi et perelegantem illustris Viduae Vitam, prolixis annotationibus dilucidatam inveniet.

8 Intermissus jam pridem Coloniæ Agrippinae B. Irmgardis cultus Hagiophilum nostrum scriptorem vehementer perculerat,

*Irmgardis Rosa.*

donec publicam ei venerationem ab immemoriali tempore Suchtelii (incolæ Suchtelæ vocant) hactenus exhibitam deprehendit. Illico ad eruderanda, quæ Beamat spectant, monumenta erigitur, in illius parentes solerter inquirit, datum ad eam ab Henrico III anno MCL diploma producit, hujusque vindicat sinceratatem, ac demum ex idiomate Germanico in Latinum a se conversam beatæ comitissæ Vitam subjungit, tribus Capitibus comprehensam. Diem hunc clausit operosiore præcedentibus lucubratione de S. Rosa Viterbiensi, tertii Ordinis S. Francisei, in qua fuse de ejus cultu, natali et emortuali tempore, plurimi difficultibus, quas docte solvit, obnoxio, de illius sepultura, translatione, incorrupto post aliquot secula mirabiliter corpore disserit. Tum exposita, quam sacris exuviis summi sæpe viri exhibuerunt, veneratione ac duplice apud Viterbienses de sancta festivitate, processum pro impetranda Canonizatione institutum refert. Gemina mox Vita subnectitur; altera ex Canonizationis processu, altera ex ecclesiastico Sanctæ Officio desumpta. Sequuntur Acta et Miracula cum Appendice et prolixo juratorum testium catalogo, paginas omnino octo et triginta implentia. Atque hi quidem sunt ab impigro Suyskeno in diem quartum Septembribus labores collati.

9 Duos sequentes dies auspicatur ab insigni Commentario historico de B. Alberto Bergomensi, Ordinis S. Benedicti, primi cenobii S. Jacobi in Pontida prope Bergomum abbatis. Legi hic præ ceteris merentur, quæ adversus Cælestinum, Bergomensem Historicum, aliasque ejusdem cum eo opinonis argumenta profert, quibus fabulosum Theutberga, quam Lotharius Francorum rex, ducta Waldrada pellicet, repudiaverat, accessum ad B. Albertum explodit, et ad aliam ejusdem nominis matronam referendum probat: tum ea, quæ de exorto beatum inter abbatem et Arnulfum Bergomensem episcopum dissidio erudite disputat. Mitto Syllogen de S. Fausto abbatte Siculo; mitto;

*Alberto Bergomensi et Magno, abbatore, cuius intricatissime gesta*

ELOGIUM

mitto, quem de S. Chagnoaldo Laudensi, non Lugdunensi, ut perperam contendit Severius, episcopo scripsit Commentarium historica eruditione conspicuum; verbum denique facio nullum de iis, quae de S. Bega abbatissa, in Cumbraria Angliae provincia culta, commemorat; his, inquam, omnibus, brevitate studens, supersedeo, ut aliquanto prolixius duarum supra octoginta paginarum de S. Magno, Faucensis monasterii abate, lucubrationem exhibeam. In ipso exordio haud immittere fatetur, *labyrinthum se ingredi, cuius speciosus ingressus non paucos sefellit, incautiosque in multiplicem rerum, personarum ac temporum confusione pertraxit.* Ac statim totius mali caput assignat, Vitam scilicet quamdam, qua sub Theodori monachi nomine circumfertur, in qua quam male de S. Magno interpolator sit meritus, ostendit, eumque manifesti plagii convincit ob extractas ex Actis SS. Columbani et Galli fide pessima narrationes. Hæc tribus bene prolixis paragraphis tractantur.

*felicissime  
expedit.*

10 Accuratam Sancti chronotaxim subjungit, quam contra Mabillonii et Pagii objectiones tam solide defendit, ut nullum de opinione sua lectori dubium relinquat. Paragrapho vii Sanctum nec Hibernum, nec regio sanguine progenitum, ut aliqui, sanctum abbatem cum S. Magno Orcadum, Scotiæ insularum, principe et martyre cunfundentes volebant, sed Alemannum, ignotisque parentibus ortum fuisse, soluti adversariorum argumentis, indubitatum facit. Non exiguum Suyskeni doctrinæ specimen exhibent duo subsequentes paragraphi, ubi de elevatione corporis, reliquiarum ad cœnobitas Sancti-Gallenenses in Helvetia translatione, ac demum de incerta Sancti canonizatione multa apposite disputat. Tum quibusdam de Sancti corpore, aliquid jam seculis deperditum, de prodigiis per ejus invocationem et usum baculi fieri solitis, ac de celeberrimo in Germania cultu interjectis, adjunctis, quæ sub illius invocatione Deo erecta sunt, templis ac monasteriis, insignem commentarium concludit. Vitam deinde ex Ms. S. Maximini Trevirensi codice cum duobus editis, ac sex aliis MSS. exemplaribus collato desumptam in octo Capita distribuit, notisque profundam eruditionem spirantibus illustrat: et, ne quid denique Hagiophilo lectori desiderandum relinquat, septem Capitibus complectitur miracula, a P. Ludovico Babenstuber Benedictino subministrata. Anque hi primi fueru pro Sanctorum gloria Suyskeni labores. Quid

in tertio Septembbris tomo præstiterit, modo videamus.

11 Sanctos hic continet, qui die sepius et quatuor sequentibus publico cultu in ecclesia gaudent; lucubrationes vero Suyskenianas duplo, quam præcedens, plures. Quæ in his sunt Syllogæ, brevioresque commentarii, licet et haec auctoris eruditionem non parum commendent, ne nimius sim, prætero, solis prolixioribus immoraturus. Sunt autem præ reliquis, quæ de SS. Kieranó, alias Querano abate Cluin-mic noisensi in Hibernia, ac Augustiniani Ordinis decore Nicolao Tolentinate est commentatus. Tot enim illustrandis illorum gestis evolvenda volumina et monumenta, tot tenebrae dissipandæ, tot perrumpendæ difficultates fuerunt, quot fere periodos, aut certe paginas singula continent. S. Kieranum Benedictini quidam sui Ordinis Sanctis adscriptiabant, alii prænibili oriundum prosapia et ad episcopales infulas aliquando eventum contenderant. Horum opiniones nequitiam veritati consentaneas ex auctoriorum Scriptorum monumentis, variisque tum Hibernorum, tum Anglo-Rum Sanctorum Vitis, ostendit. Falsitatis quoque convincenda fuit multorum, Kieranum Vitam triginta trium annorum termino concludentium, sententia. Convicit Suyskenus studiosa temporum inquisitione, quibus Anginense et Cluin-mic-noisense monasteria Sanctus condidit, et plurimum cœnobiorum incolis pater præfuit: unde conficit, sanctum abbatem anno vitæ sexagesimo sexto, vel certe in proiectiore ætate obiisse, quam trigesimo tertio.

12 Nunc, quid in Tolentinate Thaumaturgo præstiterit, videamus. Hujus lucubrationis seu molem, seu, quo elaborata est, modum species, primarios inter Suyskeni labores collocanda videbitur: mole enim paginas implet septem supra centum; eo vero modo elucubrata est, ut vel hinc, si cetera desint, capacissimum viri ingenium et prudens in rebus discernendis judicium maxime commendetur. In Commentario, pro nostra scribendi ratione Actis præfixo, neotericos, æque ac antiquos Scriptores, qui de Sancto egerunt, profert in medium, eorum auctoritatem examinat: tum ad locum tempusque natale, ad parentes et perperam ab aliquibus assertam eorum nobilitatem, ad ætatem supremam, in qua mira Scriptorum discrepancia, dilabitur. Non exigui momenti lis est de canonicatu, ad quem Sanctus in ecclesia S. Salvatoris fuit promotus; Secula-

*Tertium  
ejusdem  
mensa to-  
rum nu-  
merosiora  
Commenta-  
riorum de  
SS. præser-  
tim Kiera-  
no*

*et Nicolao  
Tolentinate  
serie exornat.*

risne

REVERENDI P. CONSTANTINI SUYSKENI

risne is fuerit, an Regularis : pro priori certantium opinionem merito amplectitur. His stabilitis, rem nec minus arduam, nec minus intricatam solito ingenii acumine discutit, discussamque lectoribus exhibet : pugnatur nempe acri utrimque marte pro determinando æstatis anno, quo S. Nicolaus, dimisso canonicatu, sacro Ordini Eremitarum S. Augustini nomen dederit, alis eum decennem puerum, alis octodecim, plurium alis annorum juvenem tunc facientibus. Priorum arma variis iisque firmissimis rationibus Suyskenus confringit, et facilem ineundae pacis viam ex Bullæ canonizationis et cuiusdam Augustiniani Ordinis Officii interpretatione cum Tombeurio assignat. Tum geminas Vitas subdit, prolixiorēm alteram a coœvo auctore Fratre Petro de Monte Rubiano, alteram breviorem a scriptore anonymo posteritati relictam, utramque autem Annotatis, incredibilem Viri industriam testantibus, illustratam. Gloriam Sancti postumam quatuor et triginta Paragraphis, quos in Opere consulas, comprehendit, iisque laudatam numquam satis lucubrationem concludit. Ad quartum Septembbris tomum progrediamur.

Quinque reliquias Septembbris Tomis Acta precipue SS. Cornelii,

13 In hoc elucubrando industriam suam operamque indefessam non magis desiderari passus est Suyskenus, quam in præcedentibus. Geminam, ut id probem, de SS. Cornelio et Cypriano lucubrationem amplissimam evoluisse sufficiet. In Acta primum, quæ de priore circumferent et Hilduino, S. Dionysii apud Parisios abbatii, perperam adscripta sunt, cum eo vetustiora probentur, diligenter inquirit, et varios in iis errores detegit refutatque. Hos inter non minimus est, quod S. Pontificem Romæ martyrio coronatum commemorent, qui opinioni et eruditus Schelstrati subscibit. Verum, hujus argumentis solide solitus, Cornelium Centumcellis in Hetruria aut naturali morte, ex ærumnis exsiliis maturata, aut, quod verisimilius autumat, violenta e vivis excessisse, vix non demonstrat. Assignata sancto patria urbe Romana, quam strenue se cum clero Romano, vacante per martyrium S. Fabiani sede Apostolica, gesserit, exponit, probatque, non ante annum 231 medium S. Cornelii ad Pontificatum electionem locum habuisse. Sex dein prolixissimis §§, quos totidem absolutissimas Dissertationes non immerito dixeris, de Novatiani schismatis, quod Ecclesiam Dei tamdiu affixit, causa, auctoribus et initio, de Felicissimo itidem, schismaticorum in Africa antesi-

gnano, tam acute eruditeque disputat, ut, quos in rebus hisce maxime intricatis plurimos invenit, adversariis non abunde modo fecisse satis, sed et quemvis non pervicacem in suam pertrahere sententiam debere videatur. Quæ porro de persecutione a Gallo resuscitata, de Cornelii et Romanorum illustri confessione, de Sancti exsilio, martyrio, Scriptis, translationibus et exhibita illius reliquiis in variis orbis partibus veneratione pari solertia, nec minore labore conscripsit, prosequi ulterius non lubet, quod ad S. Cyprianum Carthaginensem antistitem festinandum jam sentiam.

14 Tres in partes insigne hoc Suyskeni opus dividi apposite potest. Prima, quæ centum et trium paginarum spatium ac septem supra triginta §§ complectitur, ea continet, quæ sancti Acta, patriam, conversionem ad fidem, Scripta quædam, sacerdotium, episcopatum spectant. Elucidantur præterea, quæ ad excitatam a Decio persecutionem, longe atrocissimam, ad varia in ea lapsorum genera, ad crimen Libellaticorum, ad pacem lapsis, libellum Martyrum habentibus, aliisque poenitentibus sub finem vita a Sancto concedi permissam, pertinent. Post hæc de infeli schismatis per Felicissimum exorti initio, de hujus ac Novati damnatione, de impiis Novatianorum molitionibus, de baptizandis infantibus recens natis, deque alis plurimis tum ad novam sub Gallo persecutionem, tum ad suscepitos ab intrepido præsule pro evelendis hæresibus et Ecclesiæ disciplina servanda labores spectantibus, prolixissime disseritur. Res est Theologis æque ac Historiis notissima, quam acris SS. Stephanum inter et Cyprianum pugna exarserit circa collatum ab hæreticis baptismu. Pro reiterando hujusmodi baptismo certabat Cyprianus non modo trium synodorum coactione, sed et Scriptis in Stephanum, contrarium Ecclesiæ consuetudinem servari volentem, æquo arioribus. Intentata est ob hæc a Romano Pontifice, non lata in Cyprianum excommunicationis sententia, utpote qui in Stephani ejusque successoris communione semper vixerit, et, priori errore revocato, vitam dein gloriose martyrio feliciter consummarit. His pars lucubrationis altera, lectu sane dignissima tota impenditur. Parte tertia exhibetur Sancti vita ab auctore synchro eleganter conscripta, Actaque Proconsularia, doctis singula Adnotationibus illustrata. Subnectitur quatuor Capp. Appendix de postuma S. Martyris gloria. Denique, ac si parum hactenus ad propagandam illustris Pontificis venerationem pius scriptor contulisset,

Cypriani,

## ELOGIUM

contulisset, sub finem Tomi ex monumen-  
tis serius ad se datis alteram adjicit Ap-  
pendicem de SS. Cornelii et Cypriani re-  
liquis ac miraculis in abbatia Ninoviensi  
in Flandria.

*Ludmilla*

15 Ut nimiae prolixitatis vitanda ergo  
ex contentis Tomo iv Septembris Suys-  
keni laboribus quasdam dumtaxat lucu-  
brationes attingere visum est, ita et ex  
iis, quae in proxime sequentem concessit,  
unum tantum alterumve indefessi scrip-  
toris opus selectum exponam, ea nempe  
qua de SS. Ludmilla, Lamberto et Jo-  
sepho a Cupertino in litteras misit. San-  
cta Ludmilla, Bohemiæ ducissa et pa-  
tronæ, sancti nepotis avia, paganis paren-  
tibus nata, ipsaque prioribus vitæ annis  
idolorum superstitioni inprimis dedita,  
Borzivojo Bohemiæ duci nuperat. Hoc  
ad Christi fidem converso circa annum  
890, uti adversus contrariam istius rei  
epocham statuentes invictè probatur, ipsa  
pariter Christum edocta aliquandiu post  
salutaribus undis expiatum. Profugum  
religionis causa in Moraviam conjugem com-  
mitata, indeque post decem mensium,  
non trium annorum, ut contra Balbinum  
conficitur, exsilium ad proprium Ducatum  
cum marito revertitur, et una cum eo  
illustre Virgini Deipare in urbe Pragensi  
veteri templum extruit. Idem Balbinus,  
Dubravius, Pontanus Saliusque scribunt,  
Borzivojum translatò in filium Ducatu,  
ad locum solitarium, Deo unice victurum,  
cum uxore se recepisse. At quam putrido  
hæc fundamento nitantur, ex petitis a-  
liunde rationibus evincit Suyskenus, sub-  
dens aliqua circa controversam laudati  
Ducis supremam ætatem, ejusque antiquum cultum, a Balbino assertum, sed  
hoc certe seculo non amplius observatum.  
Viduata viro sancta mulier impia nurus  
suæ Dragomiræ machinationibus succubuit,  
illustre pro Christiana fide martyrium pas-  
sa. Plurimis hic de sacrilegæ cædis  
modo ac tempore, deque coemeterio, in  
quo primum Sancte corpus fuerat sepul-  
tum, nullum dein cadaver paciente dis-  
putatis, Vitam addit a gloriosæ martyris  
pronepote in litteras missam. Modo, quid  
in S. Lamberto præstiterit, videamus.

*Lamberti,*

16 Præmisso Scriptorum qui de S. Lam-  
berto egerunt, examine, de Sancti pa-  
rentibus, non pietate minus, quam nobili-  
tate illustribus, patria et baptismo,  
non a S. Remaclo, ut volunt aliqui,  
suscepto nonnulla observat, refutatque  
contextam male fabulam de virgine illius  
nutrice. Haud satis certam esse primam  
sub S. Landualdo Sancti educationem ex  
Vita S. Amandi et suscepto post S.  
Theodardum, anno 669 occisum, episco-

patu Trajectensi omnino evincit. Tum  
contra quorundam opinionem Lambertum  
non anno aetatis 21, sed 32 ad episco-  
palem dignitatem fuisse evectum, ex va-  
riis monumentis probat. Ex iisdem pariter  
aliisque conficit, S. presulem celebre-  
rimæ translationi corporis S. Vedasti non  
interfuisse, quod post Sigebertini Chro-  
nici interpolatorem eruditæ quidam velut  
indubitatum admirerant. Post hæc S. e-  
piscopi e sede sua expulsionem, seces-  
sum ad Stabulenses, quos inter verisimil-  
lime monachatum professus ostenditur, et  
ad suos post septennium redditum, felicis-  
simumque apud Taxandros idololatas apo-  
stolatum docte pertractat. Acerior inter  
scriptores de Sancti martyrio disceptatio,  
quod nempe id tempore, qua ex causa conti-  
gerit. Expensis mature omnium rationibus,  
subscripti sententiæ illorum, qui illud an-  
no 709 innectunt, ac illatum Sancto ex-  
istimant non ob reprehensum ab eo Pip-  
pini cum Alpæde pellicatum, sed quod  
sacrilegii bonorum ecclesiasticorum inva-  
soribus intrepide resisteret; idque tanta  
accusatione, tam solida adversantium ar-  
gumentorum solutione præstat, ut lecto-  
rem quemlibet non præoccupatum suas  
in partes debeat pertrahere. Sequuntur  
dein paragraphi undecim, in quibus de  
aliis martyrii adjunctis, de parricidiarum  
poena, de sacri corporis translationibus,  
de miraculis, cultu, reliquiis, aliisque  
plurimis eruditissime disputatur. Insigne  
opus concludunt additæ Vitæ quatuor præ-  
claris Adnotationibus illustratæ.

17 Postremus, de quo quam bene me-  
ritus sit Suyskenus, dicendum nunc ve-  
nit, est S. Josephus a Cupertino, Fra-  
trum minorum Conventualium S. Fran-  
cisci presbyter et illustre ornamentum.  
In Commentario, quem pro nostro scri-  
bendi more præmittit, agit primum de  
illius Vitis Italice conscriptis, de natali  
loco et parentibus, deque reliquis usque  
ad sacerdotii susceptionem gestis. Mox  
progediatur ad geminas Sancti afflictio-  
nes; alteram, qua per biennium integrum  
exercitatus, nec sine prodigo liberatus  
fuit; alteram, eamque graviorem, cum,  
licet jam multis inclaresceret miraculis,  
apud sacrae tamen inquisitionis tribunal  
velut impostor accusatus est. Post hæc  
varia hinc inde testimonia colligit, qui-  
bus Sancti scientia divinitus accepta,  
frequentes ecstases sublimesque raptus,  
et suavissimus odor rite comprobantur.  
Qui porro a suis iterum sacrae inquisi-  
tionis jussu fuerit avulsus et ad varios  
Capucinorum conventus abductus, ubi  
enarravit, reliqua Sancti, mandante Ale-  
xandro VII, suis jam redditi gesta, bre-  
vemque

REVERENDI P. CONSTANTINI SUYSKENI

vemque vitæ illius chronotaxin lectorum oculis subjicit. Postremum Vitæ prolixæ et duplii de miraculis Appendici præfigit Benedicti XIV Breve, Romæ datam 20 Februarii anno 1753 pro Josephi Beati-ficatione, cuius solemniis in S. Petri Basílica Vaticana celebratis ipse auctor interfuit, remiso interim ad supplementum Operis tractatu de canonizone, qua a Clemente XIII, Benedicti successore, aliquot annis post editam hanc luctuationem solemni ritu inter Sanctos relatius est.

*Castoris,  
Gerulphi*

18 Quam egregiam adornando Tomo vi Septembri symbolam contulerit, variis per hunc Tomum sparsi testatum faciunt Commentarii, quorum aliquos dumtaxat attingo. S. Castoris, cuius mentionem in vetustioribus Martyrologiis reperire non est, antiquum in ecclesia Aptensi cultum probat ex collectis aliunde summo studio probatæ auctoritatis instrumentis. Vite illius tum manuscrip-tæ, tum excusæ typis exstant variæ, e quibus ad maturum examen revocatis, et auctoritatis non satis certæ deprehensis, unam solummodo edendam censuit. Refutatis deinde quorundam opinionibus, qui geminum à Sancto cœnobium extrectum volunt, in suscepit episcopatus et obitus tempus diligentissime inquirit, atque hoc contra Castellanum, Guesnayum aliasque inter annos 419 et 426 probabilius statuendum autumat. S. Gerulphus Trunchini in Flandria, ubi martyrio coronatus est, insigni veneratione per Octavam colitur 21 Septembri: duo circiter secula post gloriosam mortem primum, qui extet, Vitæ scriptorem nactus est, ac geminos deinde alios multo recentiores, qui miracula exararunt. Varias subjicit per diversa Flandriæ loca sacri corporis translationes, honoresque ei exhibitos, donec senescente seculo xvi in hæreticorum manus incidit, totumque, excepto crano, quod mature argenteæ thecæ inclusum sub terra defossum fuerat, hodieque in Trunchiniensi abbatia asservatur, deperditum est.

*Laudonis,  
Mauri,*

19 Illustrantur præterea hoc Tomo Suyskeni laboribus S. Laudo vel Lanto, S. Maura virgo, ac duæ itidem virgines et martyres Digna et Merita. S. Laudo Constantiensem in inferiori Normannia cathedralm exornavit, ad quam perperam duodecim annorum puer in quibusdam monumentis assumptus scribitur. Aditi, administrati et per felicem obitum reliqui episcopatus tempora incerta omnia, circa quæ neque ex quatuor Vitæ MSS. exemplaribus, quorum nullum tyrorum beneficio dignum existimavit, neque ex editis Octobris Tomus IV.

Lectionibus propriis aliquid elicere, nisi per conjecturas, potuit. Speraverat diu post majores nostros Suyskenus, nacturum se certa satis monumenta, unde exortam dudum inter Rotomagenses, Tutelenses et Andegavenses controversiam acerrimam de Sancti corporis possessione absque ullorum injuria decidéret: ast spe illa frustratus, illud saltem, quod unice poterat, effectum dedit, ut ex collectis rationum momentis, quibus oppositæ partes nituntur, ansam studiosi lectori præbeat probabiliorem amplectendi opinionem. De SS. Digna et Merita paucis disseruit, quod præter illarum Acta vel aperte fabulosa, vel saltem dubia vix aliquid repererit, quod sine erroris periculo luci publicæ dari posset. S. Mauræ, Trecensis virginis, Gesta multo minus facessivere negotii, utpote desumpta ex habito de ea Sermone a Prudentio ejusdem civitatis episcopo, Sanctæ synchroño et familiari. Qui quidem Sermo ab heterodoxis præfato episcopo abjudicatur hoc præsertim nomine, quod expressa in eo fiat mentio de Sacramentis Confessionis, Eucharistiae et extremæ Unctionis, quodque ex vetusto exeso codice a Camuzato erutus dicitur. Quid quod a nonnullis Catholicis de interpolatione videatur suspectus ex eo, quod sacra infirmorum unctio illi *extrema* vocetur, et Eucharistiae sumptio illi unctiōni præmittatur. Verum tam horum, quam illorum objectiones exigui plane roboris esse, contrariis rationibus Suyskenus ostendit.

20 Præcipius in hac Operis parte soler-tissimi scriptoris labor S. Emmerammo *Emmeram-*  
*mi,* episcopo et martyri impensus est. Ac pri-mum quidem in biographorum, quos plures detegit, auctoritatem inquirit, quidque ex iis Commentario subiectendum, quid supprimendum edicit. Somniarant in as-signanda Sancti patria Joannes Aventinus lib. 3 Aunal. Bojorum et scriptor codicis Usuardini Hagenoyensis; ille, dum sanctum martyrem Petovione in Norois; hic, dum eum Tolosæ natum voluerunt. Utrique somnum exxit Suyskenus, Sanctumque Pictavii in Aquitania primam lucem as-pexisse demonstrat, atque eadem opera pa-rentes ejus Christianos fuisse docet, con-futans insulsam quorundam Judæorum fabulam, qui illum ex Habræa stirpe ori-dundum et Amramum (quod Moysis parenti nomen fuit) pessime in Emmerammum detortum, dictum fuisse, comminisci non erubuerunt. Intricior nonnihil est de episcopali Sancti sede disceptatio, Pictaviensisne hæc fuerit, an alterius in Galliis civitatis, hactenus ignotæ. Posterioris opinio-nis Scriptoribus adhærendum existimare videtur. Post hæc industrium hagiogra-

## ELOGIUM

phum detinent episcopatus abdicatio, Sancti ad praedicandum Christum in Pannioniam profectio, adventus Ratisponam, cuius non ordinarius sed adventitius episcopus fuit, suscepta Bavarorum conversio, et toleratum anno 652 apud eos martyrium. Variæ a variis sacrilegæ credis causæ assignantur, quarum quidem alias tanto martyre omnino indignæ, aliæ aliunde de falsitate suspectæ sunt. Verisimiliori, nec Sancto erubescendæ, ex Baronio ad annum Christi 702 depromptæ suum addit suffragium. Quæ denique de sacri corporis translationibus, de prætena Sancti per Formosum PP. canonizatione, aliquis ad ejus cultum spectantibus pari diligentia discutit, ut et binas illius Vitas et miraculorum libros consulere lector in ipso Opere poterit, ad quod pariter, promissæ brevitatis memor, eum, remitto.

*Joannis de  
Meda, Elzea-  
rii, Wences-  
lai,*

21 Prodiit anno 1760 prolixii Operis de Actis Sanctorum volumen quadragesimum quintum, in quo ultra viginti Sanctorum gesta digessit Suyskenus atque illustravit. Inter illos (nam omnes recensere longum foret) majore ei labore constiterunt SS. Joannes de Meda, Elzearius de Sabrano, Wenceslaus Bohemiæ dux et B. Bernardinus Feltriensis. Fuit Joannes de Meda primarii Ordinis Humiliatorum fundator. Examinanda hic fuerunt plurima: asserta ab aliquibus Joannis canonizatio, eodem, quo obiit, anno 1159 per Alexandrum III, quam probabilem quidem, non tamen omnino certam agnoscit: Sancti patria et illustres natales, ubi orta de illis Mediolanenses inter et Comenses lis decidenda fuit: vari deinde Ordinis Humiliatorum gradus, eorumque exordia, incrementa, fines determinandi. Hæc ubi Suyskenus cumulatissime prestiti, ad Sanctum revertitur, et pari diligentia de illius obitu, sepultura, reliquiis et cultu multa scrutatus, desumptam ex Ms. Comensi Vitam solitus cum observationibus ad calcem adjicit. Lectu pariter dignissimus est egregius 13 §§. Commentarius de S. Elzeario: nihil enim hic nisi legitum maxime in medium profert, sive de Sancti patria, illustribus natalibus, inito cum B. Daphna conjugio, sive de servata ac voto firmata utriusque conjugis castitate et tertiae Regulæ S. Francisci ab Elzeario emissa professione disputandum fuit. Multa præterea de felici Sancti obitu, translatione, prodigiis in ea patratis, quæ merito suspecta habet, de petita semel atque iterum, ac tandem obtenta illius canonizatione, ac denique de ejus miraculis, festis et reliquiis disserit. Ad P. Suyskeni commendationem plurimum etiam confert accurata de S. Wenceslao,

Bohemie patrono, lucubratio, in qua quam egregie Sancti cultum promoverit, enucleatus si ostendere voluero, Elogii normam excessisse videbor: unum tamen præterire nequeo. Inventus nuper impudens detractor, qui datum antiquitus beato Duci Martyris titulum erectum voluit, quod non fidei Christianæ aut virtutis causa, sed ex fratris regnandi cupiditate cæsum esse Wenceslaum contendenter. Impium scriptum statim quidem refutaverat Georgius Bilek, collegiatæ ecclesiæ Boleslaviensis decanus; sed, quod ejus opusculum ad manus suas non pervenisset, rem ipsam de novo aggreditur Suyskenus, atque ita aggreditur confitit, ut nemini deinceps de asserta S. Wenceslao martyrii palma prudens superesse dubium queat. Tomum hunc, et impensos in eo Sanctorum gloriæ Suyskeni labores claudit Commentarius Historicus de B. Bernardino Feltriensi Ordinis Minorum Observantium S. Francisci. Nihil in hujus lucubrationis laudem hic addo, quod et prolixior sit (paginas quippe implet novem supra centum) et sese ipsa hagiophilolectori sufficienter commendat.

22 E. Sanctis Beatisque, quos complectitur tomus viii et ultimus Septembris à P. Suyskeno illustratos, imprimis commemorandus venit B. Joannes de Monte Mirabilis Ordinis Cisterciensis monachus, cuius Actis, ab anonymo monacho Longipontano conscriptis, et nunc primum editis, laboriosum Commentarium præfigit. Illustris primo Beati progenitores, tempus natale, de quibus altum apud biographum silentium, indagat: atque illos quidem ad paternum usque maternumque abavos ex antiquis monumentis eruderat; hoc vero post medium seculum xii figura- dum censem, simulque expludit insulsum fabulatorem, qui B. Joannem circa annum Christi 1129 a S. Bernardo Claravallensi abbatte in Ordinem admissum commentus est. Tum Beati conjugium, prolem, præclaræ domi bellique gesta, piæ donationes, susceptum monachatum, ac felicem deinde obitum, anno 1217 illigandum, sex §§ elucidat. Reliquos occupant eruditæ disputationes de variis Beati translationibus, iterato pro illius canonizatione conatu, ac cultu indubitato. Proxime hunc excipit paris eruditiois Commentarius historicus de B. Nicolao de Furca-Palena Ordinis eremitarum S. Hieronymi, in quo, non obstante monumentorum penuria plurima de illius gestis incredibili solertia aliunde colligit, atque in id præsertim incubit, ut Beati cultum, in quem aliquando sub Urbano VIII severius inquisitus fuerat, hactenus perseverasse demonstret. Atque

*Joannis de  
Monte Mir-  
abilis aitorum-  
que illustra-  
viti.*

REVERENDI P. CONSTANTINI SUYSKENI

Atque hi quidem præcipui sunt impensi ab indefesso scriptore Septembri labores.

*Felici pariter  
successu tomo  
I Octobris de  
SS Remedio,*

23 Primus mensis Octobris Tomus exhibet Santos, quos primo et secundo die fideles venerantur. Plurimum hic quoque Suyskeni industria eruditioque appetit. Exordium ducit ab illustratione gestorum S. Remedii (Romedium vocant alii) qui in Tridentina, eique adiacente Brixensi dioecesis insignem cultum obtinet, de quo nunc quidem omnino constat. De reliquiis, præsertim capite, illudne in monasterio Sangeorgiano Ordinis S. Benedicti, an in templo, ejus honori in valle Anania erecto, asservetur, acriter disceptatur. Prioribus adstipulatur Suyskenus. Explosis dein circa Sancti natale tempus, illiusque majores et posteros Joannis Aventini et Wolfgangi Lazii fabulis, expendit ac refutat argumenta, quibus Castellanus et Tartarottus, haud exigu nominis Scriptores, conati sunt probare, sanctum hunc Remedium eumdem plane esse cum S. Remigio Remensium antistite, cuius mox gesta prolixo Commentario illustrat. Celeberrima est a multis jam seculis hujus Francorum apostoli apud Martyrologos memoria et in Ecclesia veneratio. Scripta fuerat ejus Vita eodem, quo obiit, seculo vi; verum hujus solum compendium, a Venantio Fortunato, illustri istius ævi scriptore, in litteras missum ad nos usque pervenit, ac seculo deinde ix præluxit Hincmaro, qui inde et ex corrasis aliunde notitiis fabulosisque traditionibus, quod dolens probat Suyskenus, prolixiorē denuo Vitam, commentis non paucis infectam, conscripsit. Tertio § de præclaro Sancti genere, parentibus, reliquoque familia et pia educatione disputat. Dubitatum hic fuit, qua matris ætate in lucem fuerit editus, quot fratres, et quam nutricem habuerit. Omnia perspicue solvit Suyskenus. Ac matrem quidem, dum Remigium peperit, nonagenariam fuisse, ut quidam asseruerat, neutquam verisimile esse ostendit; fratres vero duos, contra ac Baronius aliquę volunt, Sancto assignat. Difficultatem non mediocrem habent annus Sancti natalis, ordinationis episcopaloris principium, sedis duratio ac tempus emortuale. Discussis, quæ hic plurimæ sunt et probabilitate non carent, variorum sententias, suffragatur opinio, quæ illum circa annum 436 natum, circa 458 evectum ad cathedralm, quam -annis 74 tenuerit, ac demum anno circiter 532 obiisse statuit.

*Remigio,*

24 His de chronotaxi præmissis, ad examinanda præcipua S. Præsulis gesta prægreditur. Clodoveum, Francorum regem, post irruptionem in Belgicas, relatamque de Syagrio, qui Romani imperii nomine

in Gallia præerat, et Alamannis victoriā, fidei Christianæ rudimentis S. Remigius imbuit, eumque anno 496, non priore aliquo posterioreve, ut aliquibus visum, in Nativitate Domini et e sacro fonte suscepit et salutaribus undis abluit in Remensi, non Turonensi civitate. Norunt historiarum periti, quot quantæque inter scriptores pugnas exarserint de sacra ampulla, quam in solenni Clodovei baptismate e cœlo demissam aliqui asserunt, negantibus aliis, aliis dubitantibus. Singulorum argumenta, magis rationi consona, accurate fideliterque proponit, ac tandem, iis examinatis, negantium opinioni suffragium suum non obscure addit. Disceptatio inter historicos altera est de Primatu per totum Clodovei regnum S. Remigio collato. Factum id sub S. Hormiso Papa, perperam scribit Hincmarus: probat enim Suyskenus, hoc munus Sancto concessum vel ab Anastasio II, vel, quod verius autumat, à S. Symmacho. Reliqua porro a S. Antistite pro Francorum, Arianorumque conversione, pro celebratione i concilio Aurelianensis, pro erigendo episcopatu Laudunensi, aliisque in Belgio sedibus restituendis gesta maturo examini subjicit, multaque alia ad Sancti discipulos, erecta ab eo templo, et susceptos pro auctoritate episcopali labores spectantia prolixis quatuor §§ summa accuratione pertractat. Bina circumferuntur velut à S. Remigio edita testamento, quorum alterum breve, alterum multo est prolixius: hoc, assignatis manifestis suppositionis indicis, ut adulterinum rejiciendum; illud vero solum pro genuino amplectendum, solita eruditione evincit. Quæ denique de Sancti obitu, reliquiis, translationibus, cultu planè eximio postremis quinque §§ acutissime disputat, uti et subjectam huic Commentario Vitam duplicem, brevius, de quo suprà, testamentum, duas itidem translationes, dedicationem ecclesiæ à S. Leone IX Papa factam, ac demum appendicem de quibusdam miraculis, in assignato Operis nostri tomo curioso lectori evolvenda relinquo.

25 Quod huic de Remensium Archipresule lucubrationi, plurimum ad eruditæ scriptoris commendationem conferenti, diutius sim immoratus, alios Suyskeniani ingenii foetus, hoc volumine contentos, illaudatos prætero, unum exerce, quem de S. Thoma de Cantilupe edidit Commentarium, priori nec mole, nec rerum controversarum multitudine inferiorem. In intricata de sancti hujus Herefordiensis in Anglia episcopi anno natali quæstione non exteri modo, sed

*Thoma de  
Cantilupe,*

et

ELOGIUM

et Angli Scriptores minime convenient. Singulorum momenta rite scrutatus, litem decidit Suyskenus, Thomamque anno 1218 in lucem editum, tantum non demonstrat. Quinque dein paragraphis plurima observat circa Sancti eruditionem, obita in regno Angliae primaria munia, susceptum episcopatum, virtutesque plane mirabiles. Has inter præ reliquis enituit intrepida animi fortitudo, qua pro restituendis defendendisque ecclesiae suæ juribus opponere sese cujuscumque auctoritatis invasoribus non formidabat. Testes sunt Lewelinus seu Leolinus, Walliæ princeps, Gualbertus comes Glocestriæ, atque alter ferocius ingenii baro, quos, cum ecclesiae suar jura impune hactenus læsisset, et aggressus est fortiter, et feliciter superavit. Quanto accurata horum omnium expositio, ex pluribus regni Angliae monumentis eruenda, Suyskeno steterit labore, dictu perquam est difficile. Habuit et alias invictus præsol, easque multo præcedentibus graviores dissensiones, cum suo præsertim metropolita Joanne Peckhamo archiepiscopo Cantuariensi, sedis suæ jura ultra, quam Thomæ aliisque Angliae episcopis par esse videbatur, extendere volenti. Hic Suyskenus, pro vindicanda beati antistitis sanctitate maxime solicitus, quod illum in adversæ partis instrumentis mendacii, rebellionis, contumaciæ, elati indurati que animi reum, immo et a Joanne excommunicatum legeret, omnes vires intendit, ut vel a eujusvis criminis umbra Sanctum suum remotissimum fuisse ostendat. Quapropter in illarum discordiarum causas, principium et progressum tanto studio inquirit, ut, si magnam in aliis, in hac certe lucubratione summam pietatis et industriae laudem præmeritus debeat videri. Postremi sex §§ pium Sancti obitum, translationes, binos pro illius canonizatione processus, bullamque de ea a Joanne XXII editam complectuntur. Centum deinde et quinque paginæ Compendium Vitæ et innumeris fere Sancti miracula, suis quæque eruditis Adnotationibus explanata, exhibent.

26 Tres solummodo sunt Sancti, quorum Acta secundo Octobris tomo Suyskenus digessit ac illustravit; videlicet SS. Marsus presbyter, Quintinus martyris et Franciscus, Fundator Ordinis Minorum. Hujus gesta, quæ adornanda suscepit Joannes Stiltingus, haud multum proiecto operi immortuus, ad Suyskenum dein devoluta, quod hic ea numero, magnitudine ac varietate reliquis præcellere videret, operosissime illustranda existimavit. Quantam hac lucubratione,

numeris omnibus absoluta, indefessus scriptor laudem sit præmeritus, præcipua rerum capita huc tantum allata abunde declarabunt. Præcedit pro nostra scribendi methodo dissecus in triginta duos paragraphos insignis Commentarius, ubi, quidquid ad celeberrimi Patriarchæ gloriam notitiamque vel minimum confert, tanta accuratione studioque discutit atque dilucidat, ut pronuntiare non verear. P. Constantinum hic omnia cumulate præstisset, quæ tum a prudente exacto que critico, tum a veri unice amante historico exspectare quis possit. Geminam dein Sancti Vitam exibet, alteram a Thoma de Celano, S. Fundatoris discipulo, neque hactenus editam, alteram a S. Bonaventura conscriptam. Inveniat et aliam in Ms. codice RR. PP. Minorum Lovaniensium, a tribus Sancti sociis exaratum lucubrationem, quam supplementi seu appendicis loco Vita priori subjicit, quod plurima in illa de S. Francisci gestis, a primis biographis suppressa, lectu dignissima deprehenderet. Alteram itidem appendicem subnexuit de gloria Sancti postuma, ubi quæcumque ad illius festivitates, Officia ecclesiastica, dedicatas ejus honori prope et intra civitatem Assisiensem ecclesias et cetera hujuscemodi spectant, diligenter expendit. Multa præterea, apud Waddingum præsertim, eruditissimum Minorum annalistam, de Sancto repererat, quæ, quod ea vel primi biographi non attigerant, vel gravioribus erant obnoxia difficultatibus, distincto in Operæ, quod Analecta inscripsit et in quinque Partes distribuit, examinanda putavit.

27 Prima Parte quædam ad examen *protissime* revocat, quæ in Waddingi Annalibus inter annos 1210 et 1225 a S. Francisco gesta referuntur, atque, horum aliquot non sat tuto fidem mereri, validis rationibus probat: ejusmodi sunt severum per 40 dies Sancti jejunium in insula lacus Perusini, ubi tantum temporis medio dumtaxat pane consumpto, exigisse narratur; asinus Beati mandato obtemporens et prolapsus in genua ab ore concionantis pendens; inventus ab opifice thesaurus, ut conventum Franciscanis extrueret; abrepta a dæmoni ad Sancti imprecationem adolescentula, quæ cymbalum pulsans prædicanti obstrebat; Frater inobediens jubente mitissimo Patriarcha in terram mento tenus defossus, multaque alia antiquis testimoniis destituta. Altera Analectorum Parte agit de iis, quæ SS. Franciscum inter et Dominicum gesta narrantur. Duplex hic præ reliquis decidenda fuit, quæ jam pridem inter utriusque ordinis

*secundo vero  
de S. Franci-  
sco Assisiote*

REVERENDI P. CONSTANTINI SUYSKENI

Ordinis Scriptores viguerat, et ad hunc diem a Guilielmo Cupero in Commentario Actis S. Dominici prævio ulterius discutienda fuerat remissa. Quæstio autem agitabatur haec, an S. Dominicus anno 1219 generali Minorum Capitulo, vulgo *Storearum* dicto, interfuerit, quod adversus negantes Dominicanos Franciscani certum volebant: deinde, fuerit idem Sanctus Dominicanorum parens exemplo S. Francisci excitatus, ut severiore paupertatem suis præscriberet. Noverat P. Suyskenus, quanta hic opus esset cautela, ne alterutri litigantium parti justam offensionis ansam præberet, neve, quas Cuperus, rem in medio relinquens, expertus fuerat, procellis agitaretur ipse, cui pro munere litigiosi negotiæ prætermisit, nulli pepercit labore aut studio, ut ex persensis singularum partium argumentum veritatem, quam, ut prudentem historicum decet, unice investigabat, tandemque statuit, longe probabilius esse, S. Dominicum generalibus Minorum comitiis, que tamen illa omnium maxima, *Storearum* appellata, non fuerint, anno 1218 aut sequenti interfuisse, atque a verisimilitudine minime abhorre eorum sententiam, qui asserunt, S. Dominicum exemplo S. Francisci motum fuisse, ut arctiore paupertatem in suo quoque Ordine perpetua lege stabiliret.

egit.

28 Reliquæ tres Analectorum Partes ea continent, quæ ad celeberrimam Indulgentiam Portiunculanam, ad statum situmque corporis F. Francisci ejusque Opuscula pertinent. De priori (quæ quoties et quam acriter impugnata fuerit, quotusquisque est, qui ignoret?) tanta accusatione per undecim prolixissimos §§ disserit, ut, quid huic expendendæ materiae adjici præterea aut possit, aut debet, nullus perspiciam. Eadem porro solertia, nec minore labore alteram pertractat de Seraphici corporis statu situmque controversiam, toties vel inter ipsos sancti Patris filios vehementer agitatam, numquam hactenus decisam, nec forte imposterum decidendam, nisi pro pio religiosi Hagiographi optato (quod in aditu Lueubrationis vide) inquiratur in locum, in quo sacrae exuviae certe asservantur, queque detectæ suo ipse aspectu, ab utra parte stet veritas, dissidentes edoceant. Id interim dum fiat eruditis lectoribus præcipua disceptationum argumenta, eorumque gravitatem mature ponderatam candide proponit, nihil omittens, quod vel pro erecto in pedes sacro corpore et sine ulla fulcro consistente, vel pro eodem in ossa et ci-

neres resoluto, a scriptoribus allegatum invenit. Hæc ubi sine alterutri partis offensione per 22 paragraphos cumulatisime æque ac prudentissime prestitit, palmarem quingentarum circiter paginarum laborem attenta in S. Francisci Opuscula inquisitione concludit. Atque hæc quidem quod aliquantulum tractarim prolixius, reliquos Suyskeni labores tum litterarios, tum alios, virtutesque ac pium e vivis excessum sequenti capite paucis expediad.

CAPUT III

*Reliqui Suyskeni labores, virtutes, pius obitus.*

Inter Cœlites, quorum propagandæ gloriarie in tertio Octobris tomo P. Suyskenus insudavit, præcipui sunt S. Marcus Papa et B. Adalbero episcopus Herbipolensis. Duæ in primis in S. Marco solvendæ difficultates occurunt; altera circa tempus, quo ad summum Pontificatum fuerit electus; altera de Sedis ipsius duratione. Ex utraque autem emergit feliciter, solidis rationibus probans, sanctum Pontificem Romanam Cathedram occupare cœpisse xv Kal. Februarii anno 336, eamque non ultra octo mensium ac viginti dierum spatium tenuisse. Eadem felicitate gravissimam dirimit litem, quæ varias inter Italiae ecclesias de sancti corporis possessione hactenus fuerat agitata: illud enim in Urbana sui tituli ecclesia asservari Romani contendunt; contra id sibi vindicant Florentini; imo et Montis Amiatini in Hetruria monachi, ac demum etiam Aquileienses hunc penes se thesaurum aut esse, aut saltem aliquando fuisse, ex antiquorum, ut ipsi aiunt, monumentorum fide comprobare nituntur. Elis autem non sine summo labore posteriorum omnium conatibus, solis prioribus adhaerendum evincit. In B. Adalberone quid potissimum præstiterit, paucis accipe. Antiquum æque ac recentem Beati cultum stabilit, licet illius memoriam apud unum dumtaxat martyrologum celebratam inventiat: examinat dein, quæ ad illustres Beati parentes et cognationem, ad piam in episcopatu Herbipolensi educationem, ejusque ad hanc ipsam cathedralm elevationem spectant, refutans eadem opera Joannem Trithemium, qui Adalberonem ante susceptum pontificatum Benedictini Ordinis monachum, imo et Lambacensis monasterii

*Reliqui tom. tertio*

## ELOGIUM

monasterii abbatem fuisse, in Chronico Hirsaugiensi ad annum 1045 perperam notaverat. Sequitur accurata discussio rerum ab intrepido Prässule tempore Henriciani schismatis fortiter gestarum; ubi in id præcipue pius Scriptor collimat, ut inustam ab aliquibus generoso Antistiti inconstantiae ac timiditatis labem penitus abstergat, probans, tantum abesse, ut nefario Wormatiensis conciliabuli Decreto umquam ex humano metu subscripterit, ut etiam iteratis vicibus e sede episcopali ejici, et in exsilium, cui et feliciter immortuus est, pelli maluerit.

30 Tomus hic, totius Operis quinquagesimus, supremos diligentissimi Suyskeni labores exhibit, una, sub qua vivere desiit, excepta de S. Ludovico Bertrando lucubratione, quam, ne in enormem magnitudinem volumen excresceret (Prætermisso ad diem ix Octobris consule) in sequentem diem, quo et sacris quibusdam Fastis inscribitur colique potest, differre visum est. Virginum præ reliquis ac Martyrum gesta virginitatis amans et dolorum, quibus cruciari jam coeparat, patientissimus Hagiographus hic sibi dilucidanda delegit. Harum ætate prima est S. Reparata virgo, Cæsareæ in Palæstina martyrii lauream ante annum vulgaris æræ Christianæ 253, quo eam passam vult Baronius, consecuta. Acta circumferruntur varia, tum soluta, tum ligata oratione contexta, quorum etiam meliora, quibus nimium tribuit Marteneus, sublestæ fidei vitio laborare ostendit. Lectu etiam jucundissima sunt, que deinde occasione festivitatum, quas in hujus Sanctæ honorem diversæ Italæ civitates celebrant, de antiquis Sanctorum festa honorandi ritibus ex probatis auctoribus in medium profert. Eodem Octobris die aliae coluntur sanctæ Virgines Martyresque, sanctæ scilicet Benedicta, Libaria, Eusebia et 39 ejus Sociæ moniales. In S. Benedicta, quam in agro Laudunensi, non Lugdunensi Segusianorum, martyrio coronatam statuit, pluribus agit de Auriniacensis monasterii, ubi præcipuum cultum obtinet, perobscurus primordiis, illiusque ætate ac primis inquinilinis. Translatum illuc incerto tempore, nec sine prodigiosis adjunctis, quea una cum Actis, tribus post martyrum seculis in Sanctæ tumulo repertis scilicet, ad fabulas relegat, sanctæ Martyris corpus perpetuo ibi cultu gavisum, neque adeo apud Ruricurtenses in Bellavacensi agro canonicos Regulares asservatum fuisse, manifestum efficit. Anonymus quidam, ad faciendam fidem minime idoneus, pluribus post S. Libariae passionem seculis Vitam ejus tot fabulis conspersam,

tot infectam nugis in lucem protulit, ut ab ea edenda omnino sibi abstinendum Suyskenus merito judicari. De SS. Eusebia abbatissa et 39 Sanctimonialibus VV. MM. omnes silent martyrologi, earumque memoria apud solum Arturum a Monasterio in Sacro Gynæco celebrata reperitur: antiquam tamen illarum venerationem apud Massilienses dudum ante, quam anno ritus duplicitis Officio coli permisæ sint, celeberrimam fuisse, ex Guesnayo aliisque evincit. Atque haec quidem pauca, omissis pluribus, de postremis P. Constantini scriptis delibasse sufficiat. Quid præterea ad propagandum Sanctorum cultum contulerit, quot labores ad rem nostram promovendam subierit, quis pro meritis valeat enarrare.

31 Per plures annos id ei negotii datum est, ut singulis in tomis Sanctos in ordinem digereret; suum omnibus, quo Operi inserendi essent, assignaret diem, statueretque, quinam aut ob probatum non satis cultum omnino omittendi, aut alia de causa ad dies alios essent referendi. Qui porro labor, utut pauciores in Operæ paginas impletat, quam impigrum studium, quantam judicij maturitatem requirat, quis eruditiorum est, qui ignoret? Volvendi nempe revolvendique sunt saepius innumeri pene tum editi, tum manu exarati codices, ut apta cuique addi ratio possit, ob quam vel ad aliud rejiciatur tempus, vel penitus prætermittatur. Nourunt pariter litterarum periti, quantopere curiosi lectoris commodo subserviant annexi Operibus Indices accurati: noverat id certe Suyskenus, dum primus ipse Indices, quos Historicos dicunt, exactiore ac pleniore methodo contexendos edendosque curavit. Enumeratis hactenus litterariis ejus laboribus, quantam sibi apud bonos omnes et Sanctorum gloriæ studiosos laudem comparari, ignorare non possunt, quibus ii cogniti sunt atque perspecti. Aliis quoque titulis laboriosissimi Viri memoria perpetuo apud nos vivet ac vigebit. Ut enim nihil dicam de gesta ab eo annis pluribus rei nostræ domesticæ cura et administratione utilissima; nihil de vigilanti sollicitudine, qua pro Operis nostri Museisque fama sarta tecta servanda usque desudavit; sola supellex nostra litteraria, ejus curis summopere aucta, quam gratiam nobis reddit, reddetque imposterum solertissimi Hagiographi recordationem! Enimvero quanto ei res ista sudore, quot vigiliis ac molestiis constituit, dum anno MDCCLII et sequenti Galliam, Italiam, Germaniam ac Hungariam peragravit, bibliothecas, ad quas aditus patebat, diligenter perscrutans, describensque

*atique ab eo  
pro re nostra  
suscepti,*

*ac 4 Octobris  
contenti Suys-  
keni labores,*

REVERENDI P. CONSTANTINI SUYSKENI

describensque permulta, quæ perficiendo de Actis Sanctorum Operi utilitatis quidquam collatura censeret? Adderem hic, quam honorifice passim a viris principibus ac litteratis omnibus in peregrinatione ista fuerit habitus; quot quantaque benevolentiae et amoris indicia tum Viennæ in Austria Augustissima Romanorum Imperatric Maria Teresia (quam ut Deus ad æternam laborum vere Apostolicorum mercedem sero admodum evocet, indesinenter precamur) tum in urbe Romana Benedictus XIV plus vice simplici ei exhibuerint: hæc, inquam, aliaque hoc facientia, prolixiore narratione prosequerer, nisi ea lectori sufficienter scirem exposita in Elogio, quod de P. Stiltingo, Suyskeni in hoc itinere socio, concinnatum ac primo Octobris tomo præfixum reperitur.

*virtutes iti-  
dem,*

32 Habes, erudit lector, egregios sane pro Sanctorum gloria a P. Constantino per sex et viginti annos exantatos labores: nunc, quam sedulo tot etiam inter curas perfectioni propriæ, efformandisque in se dignis viro religioso moribus numquam non invigilaverit, paucis accipe. Commemorandum imprimis venit, quod in P. Suyskeno ad extreum usque spiritum observatum est, constans sedulumque Orationis studium, ac peculiaris cum Deo Sanctisque familiaritas. Hinc summo mane e lecto se prorpere et ad coelestium rerum contemplationem, per horam integrum protrahendam, convolare ut ad epulum solebat, non prius inde recedens, quam gratissimum ad aram faciendi tempus adesset. Quam vero singulare prorsus reverentia ac religione rem sacram perageret, pronum erat colligere ex pia vultus compositione, ex modesta reliqui corporis gravitate, ex lenta denique distinctaque singulorum verborum pronuntiatione, qui-bus et suam in Eucharisticum Deum nutritiebat pietatem, et præsentium animos ad similes venerationis affectus fortiter simul ac suaviter pelliciebat. Ea erat in persolvendo sacerdotali penso accuratione, ut destinatum singularum partium recitationi tempus re numquam alia interrumperet. Pro singulare, quo in Deiparæ Virginem ferebatur, amore indies illius sertum (Rosarium dicunt) Horis Canonice adjiciebat, solitus praeterea, ut tanta Matris favorem sibi conciliaret, in festivitatum ejus pervigilis aliquid diebusque dabbatinis a consueta refecitione rescindere atque alia etiam maceratione corpus afflige. Neque minore illos e Cœlitibus, quos sibi patronos delegerat, veneratione prosequebatur, quorum amplificando cultui non vigilias modo laboremque plurimum, sed et sumptus non exi-

guos aliquando impedit. Qua sane in Divos religione biennio ante mortem acutissimis calculi doloribus liberari, se promerit credidit, cum invocata S. Liborii ope lapillos aliquot et calculosæ materiæ plurimum absque ullo fere cruciatus felicissime ejicit.

33 Ex interrupto numquam cum Deo *quibus ma-  
xime*

Sanctisque commercio quantum virtutum cumulum Vir pius collegerit, etsi solus ille penitus noverit, a quo æterna mercede jam pridem donatum confidimus; iis tam, quibus potissimum exemplo nobis et admirationi fuit, supersedere omnino non licet. Prima hic occurrit votorum, quibus se Deo æternum obstrinxerat, observatio tam accurata, ut nullus eo paupertati addictior, nullus ad capessenda Superiorum jussa alacrior, nullus servandæ castitati magis videretur intentus. Totus cubiculi ornatus, tota supellex erat exigua Servatoris e cruce pendentes effigies, Deiparæ Divinum lactantis puerum imago et confectum e cera sacrum numisma. Moderatorum mandata, imo et nutus ea alacritate prævenire studebat, qua major vel in religionis tirone exoptari vix posset. Hinc et eorum tam fuit usque reverens, ut, si cum eis agendi urgebat necessitas, non virum plurimis naturæ dotibus insignem, sed abjectum homuncionem illis adstare dixisses. Quid dicam de conservandæ virtutis angelicæ sollicitudine indefessa? In hac vel levissimum non dicam nævum, sed vel nævi umbram horrebant, ut colligere est ex oculorum custodia, fuga otii, locutione circumspecta, flagellis catenulisque, in cubiculo ejus repertis: quibus omnibus id conabatur asseQui, ut ne caro adversus spiritum insolesceret. His adde perpetuum religiosissimi Viri studium, quo minimas etiam Instituti sui Regulas exactissime observare conniebatur.

34 Atque ut præclaras hasce et homine *excelluit.*

religioso dignas virtutes conservaret, ad perfectam animi demissionem, seu humilitatem, quæ, si Patrum testimonii fides, virtutum omnium et parens, et custos est, pertingere totis viribus adlaborabat, et pertigit feliciter. Enimvero incredibilis fuit in P. Constantino sui despiciencia, qua non aequalis modo, sed inferioris etiam conditionis hominibus se subjicere; suum aliorum judicio frequenter posthabere; de se rebusque suis modeste loqui consueverat. Quæ præsernit in eo virtus enituit, dum, erupto e vivis Stiltingo, adigi vix potuit, ut rei nostræ domesticæ curam, cui sustinendæ impares sibi humeros Vir modestus aiebat, in se tandem susciperet. Hinc etiam erat in accusandis puniendis que

ELOGIUM

que propriis defectibus censor rigidissimus, in preferendis alienis patientissimus et ad illatas sibi injurias condonandum promptissimus. Eodem e fonte mirabilis illa profluebat affabilitas et comitas amabilis, ob quam tum domesticis omnibus, tum, qui vel semel cum placidissimo viro egabant, externis, in deliciis erat. Solent praterea, quorum in animis hæc virtus egit radices, egregii fraternæ caritatis, quæ, testante Apostolo, perfectionis est vinculum, esse cultores. Id certe in P. Suyskeno manifestissime patuit: nihil enim erat illi antiquius, quam neminem dicto factove iedere, aliorum animos, quo modo poterat, sibi conciliare, omnium servire commodis et studiis obsequi. Atque his quidem, aliquis numero bene multis, quas, ne lectorem fatigem, tacitus prætermitto, virtutibus probe instructum supremus morbus ac mors ipsa nimium mature, si annos; si vero merita spectes, sat sero occupavit

*piusque obi-  
tus expo-  
nuntur.*

35 Difficili omnino ac diuturna cum ægritudine conflietandum Viro patientissimo fuit. Enimvero altero ante mortem anno nephriticis doloribus utecumque solutum alii deinde morbi invaserunt; capitis nempe frequentes vertigines, molesta urinæ exoneratio, summa ad laborem minimum respirandi difficultas, ac, qui malorum omnium caput fuisse creditur, crescens e noxiis humoribus malignus tumor, quem artis medicae periti Schirrum appellant. Adhibita continuo, quotquot profutura videbantur; humana remedia; sed

absque fructu. Successit dein dirus pertinaxque hydrops, qui Virum, quem scribendis Sanctorum Actis plures etiamnum annos parem fore sperabamus, ab omni penitus labore et studiis Hagiographicis removit. Dura quidem homini propagandæ Cœlitum gloriæ cupidissimo necessitas; Suyskeno tamen, qui jam pridem supremi Numinis beneplacito totum se commiserat, minime molesta. Interim crescente indies mali pertinacia, omnemque tum medicorum, tum chirurgorum eludente operam, de instanti mortis periculo edocetur æger, unaque, ut postremis morientium Sacramentis suscipiens se præparet, admonetur. Nihil immutata P. Constantini ad hunc nuntium constantia, nihil vultus animus turbatus: sed, arcessite, inquit, cui de peccatis confiteri assuevi, peractaque confessione facite, ut quantocuyus Diuino refectus Epulo, sacroque infirmorum oleo inunctus supremam cum morte luctam generose sustineam. His munitus subsidiis mortem exspectabat intrepidus, dum iv Kal. Julii, ipso SS. Apostolorum Petri et Pauli pervigilio, vehementi adeo corruptus est febre, ut octava circiter post prandium hora commendatam sæpissimè inter tenerimos affixi cruci Servatoris imaginis amplexus Deo Sanctisque animam placidissime, uti vixerat, exhalarit, annos natus lvi, quorum sex et viginti amplificandæ Cœlitum gloriæ impedit, ad quorum æternam beatamque Societatem receptum, merito confidimus.

